

pariet aliquando, et dolorem parturientis angoremque persentit, cum non alia erit obstetrix quam Neme-sis, et ferro armata Numinis iustitia, de qua Job subdit:

VERS. 29. — FRIGITE ERGO A FACIE GLADIJ, QUONIAM ULTOR INQUITATUM GLADIUS EST; ET SCITOTE ESSE JUDICIUM. Gladius metonymicè est supplicium, quod criminatibus suis fraudulentis, qui ipsam in verbo capere satagebant, præcaveri debere Jobus monet. Facies autem gladii Hebraicè phrasi idem est quod presentia gladii, id est, ira et vindictæ divinæ; q. d.: Cessate insultare mihi si non amore Dei aut mei, saltem terrore judicij et ultionis divinæ. Licet enim modò impunè mihi obloquimini, sed non impunè fetis, cum ad judicium evocati cogemini rationem verborum reddere. Ad vitandum certè et adversandum illud maledictiæ vitium, satis est seire pollens Numen odio plus quam vatianio illud prosequi, et puni-tum velle.

Clarè D. Paulus, cum describeret consecratos, qui stolidè et impudenter se in omne maledicium in-gurgitant, detractores et subdolos illos impostores vocat, *Deo odibiles*, à quibus abhorret Deus, vel, ut D. Cyprianus veritè, *Deo abhorrentes*. Illius odij plures cause proferri possunt: ut quòd oppugnent charitatem, et Spiritum divinum contristent; quòd legi Dei malitiosè derogent, qui enim detrahit fratri detrahit legi, inquit D. Jacobus, cap. 4, 14; quòd invidie injustitiæ sint patroni et inhumanitatis opifices; quæ vitæ maximè Numinis bonitati repugnant; quòd in eos linguam exacuunt, et singulari malevolentia insequuntur, quos ille ob pios mores sanctionumque diligit, et sinu fovet, et presidio suo dignatur.

## CAPUT XX.

1. Respondens autem Sophar Naamathites, dixit:

2. Ideo-rè cogitationes meæ variè succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.

3. Doctrinam, quæ me arguis, audiam, et spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.

4. Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram,

5. Quòd locus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti.

6. Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit:

7. Quasi sterquilinum in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent: Ubi est?

8. Velut somnium atrolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.

9. Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus.

10. Filij ejus atterentur egestate, et manus illius reddent ei dolorem suum.

11. Ossa ejus implebuntur vitiliis adolescentiæ ejus, et eum eo in pulvere dormient.

12. Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.

13. Pareet illi, et non derelinquet illud, et delabit in gutture suo.

Plato sanè illud gravissimè in Miao: « Indignatur, inquit, Deus, cum quis eum vituperaverit qui sibi sit similis, » videlicet hominem probum. Fortè liberat illud Dei oraculum, Exodi 22, 28: *Diis non detrahas*; quo Deus mentem in hæc re suam voluntatemque significat, sive per Deos intelligat sacerdotes, sive reges et præsidés aliorum, sive Judices, sive pios et religioni devotos, uno verbo, Dei amicos, Numini claros, cœlum intuentes et beatam felicitatem.

Itaque solet atrocibus pœnis illud scelus ulcisci, et etiam hic interdum funestâ morte expiare, ut omnium temporum Historie declarant. Unum admodum exemplum. Donatus quidam Afer natione, et presbyter Ecclesiæ Mediolanensîs, cum in frequenti convivio positus, memoriæ D. Ambrosij detraheret, aspernantibus omnibus et nequitiam linguæ mirantibus, vulnere gravi dereperit percussus, alienis manibus in lectum primùm, deinde etiam ad sepulcrum ductus est, non sine omnium metu et admiratione. Quod idem contigisse Maurano episcopo Pisanano Paulinus in vitâ S. Ambrosij memorat.

Multò sanè graviore post hæc vitam penas dabunt, qui hic pîis hominibus maledixerint. Nam imprimis S. Paulus gravissimè pronuntiat maledicos regnum Dei non possessuros, sanctus verò Jaanes ait mitendos in stagnum ignis. O severitatem punitivis Dei et deplorandam hominum calamitatem! In hoc stagno fluctuantis et undantis ignis consecrati detractores, maledici, audaces et infandi, cœlo exclusi, ut ranae informes, ut monstri pisces, ut marini dracones, squamis hirti, ore fœdi, et edentuli natant, et in tempus sempternum cruciabitur.

## CHAPITRE XX.

1. Sophar de Naamath répondit ensuite à Job et lui dit:

2. C'est pour cela même qu'il me vient pensées sur pensées, et que mon esprit est diversement agité, ne pouvant accorder les maux que vous souffrez et votre prétendue innocence, avec la justice infuse de ce juste Juge, qui rend à chacun ce qu'il a mérité. Me trouvant donc dans cette perplexité.

3. J'écoutais tranquillement les reproches que vous me faites, et me dépouillant de tout ressentiment et de toute passion, ce sera uniquement l'esprit d'intelligence qui est en moi, qui répondra pour moi.

4. Or ce que je salue par le secours de cet esprit que Dieu m'a donné, et ce qui a été toujours également vrai depuis que l'homme a été créé sur la terre,

5. C'est que la gloire des impies est bientôt passée, et que la joie de l'hypocrite n'est que d'un moment.

6. En effet, quand son orgueil s'élèverait jusqu'au ciel, et que sa tête toucherait les nues;

7. Il périra à la fin, et il sera rejeté comme un fœtus; et ceux qui l'avaient vu dans sa grandeur passée, diront: Où est-il?

8. Car il s'évanouira comme un songe, et il disparaîtra comme un fantôme que l'on voit durant la nuit.

9. L'œil qui l'avait vu ne le verra plus, et le lieu où il était nî ne le connaîtra plus.

10. Ses enfants seront accablés de pauvreté; et, en inquiétude relâchant sur lui, ses propres mains lui rendront le mal qu'il a fait aux autres.

11. Les dérèglements de sa jeunesse pénétrèrent jusque dans ses os, et se reposent avec lui dans la poussière du tombeau, où ils le précipiteront infailliblement.

12. Car lorsque le mal est dans sa bouche, il le cache sous sa langue, comme une étoupe délicate qu'il veut goûter à loisir.

13. Il ménage cette viande, il ne cesse point de la goûter, et il le retient dans son palais, pour faire durer plus longtemps le plaisir qu'il s'en propose à la manger.

14. Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.

15. Divitias, quas devoravit, eromet, et de ventre illius extrahet cas Deus.

16. Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ.

17. (Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis et butyri.)

18. Luet que fecit omnia, nec tamen consumetur; juxta multitudinem adinventium suarum, sic et sustinebit.

19. Quoniam confringens nudavit pauperes, domum rapuit, et non edificavit eam.

20. Nec est satiatus venter ejus; et cum habuerit que concupierat, possidere non poterit.

21. Non remansit de cibo ejus, et propterea nihil permanebit de bonis ejus.

22. Cum satiatus fuerit, arebitur, æstuebit, et omnîs dolor irruet super eum.

23. Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum!

24. Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum.

25. Eductus et egrediens de vaginâ suâ: et fulgurans in amaritudine suâ: vadent, et venient super eum horribiles.

26. Omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis ejus: devorabit eum ignis, qui non succenditur, affigetur relictus in tabernaculo suo.

27. Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurgat adversus eum;

28. Apertum erit germen domûs illius, detrahetur in die furoris Dei.

29. Hæc est pars hominis impij à Deo, et hæreditas verborum ejus à Domino.

VERS. 1. — RESPONDENS AUTEM SOPHAR NAAMATHITES DIXIT: — VERS. 2. — IDEO-RÈ COGITATIONES MEÆ VARIÈ SUCCEDUNT SIBI, ET MENS IN DIVERSA RAPITUR.

Septuaginta vertunt: *Excipiens autem Sophar Minus dixit: Non sic putabam contradicere te his, et non intelligitis magis quàm et ego. Quibus verbis Sophar Jobum arguere videtur impudentiæ, tanquam manifeste repugnet veritati; aut saltem notare stupiditatis, quòd rationes adeò claras à se et sociis allatas non intelligat. In Hebræo ad verbum hæc ita sonant: Propterea cogitationes meæ reducunt me, et quidem ob accelerare meum in me, vel ut aliè, ob festinationem meam in me; quidam: Propter hoc festinationem meam in me est, quod eodem redit. Ut videlicet Sophar significet se idè Jobi sermonem interrompere, ne in tam longo ejus discursu sibi excidant ea ad quæ respondendum erat; quapropter voluit accelerare responsum. Quia verò Jobus in fine capit præcedentis horribilia quodam quasi minitando ingesserat de divino judicio, et de ultore gladio, commotus est graviter Sophar, et curarum æstu in alias atque alias cogitationes impulsus. Aderant quippe plurimæ perturbationum cause: Primum indignatio, quòd Jobus in illos tam esset liberè locutus, et illorum exprimeret captiosum animum et inclementem, et qui*

14. Mais enfin, le pain du péché qu'il mange accout à goût et de satisfaction, se corrompra dans son estomac, et sera changé dans ses entrailles en un fiel d'aspic.

15. Alors il rejettera les richesses qu'il avait dévorées; et Dieu les arrachera par force de son estomac;

16. Ainsi il sucera en quelque sorte la tête des aspics et le venin qui est renfermé, en amassant des richesses par des voies injustes; et la langue de la vipère dont il se nourrit alors, le tuera à la fin.

17. Il verra un jour où il ne verra point couler sur lui les ruisseaux du fleuve dont Dieu entiere ses saints, ni les torrents de miel et de lait qu'il répand sur les justes.

18. Mais il souffrira les peines des maux qu'il a faits, sans ou être constimé; et l'excès de ses tourmens églera celui de ses crimes.

19. Car il a dépouillé les pauvres, et il les a foulés aux pieds. Il leur a ravi leurs maisons qu'il n'avait point fait bâtir.

20. Mais son ventre n'en a point été rassasié: et après qu'il a obtenu ce qu'il avait tant désiré, il n'en a pu jouir.

21. Quand il a mangé, il n'a rien laissé pour les pauvres; c'est pour cela qu'il ne lui demeurera rien de tous ses biens.

22. Après qu'il se sera bien soûlé, il se trouvera dans des étouffements qui le déchireront, et les douleurs l'accablent de toutes parts.

23. Après qu'il aura pris plaisir à remplir son estomac de viandes, Dieu l'attaquera dans sa fureur, et fera pleuvoir sur lui ses traits et ses foudres.

24. S'il fait d'un côté les pointes de fer, il tombera de l'autre sur un arc d'airain.

25. L'épée tirée du fourreau, l'épée fondroyante le percutera cruellement, et sera toute témée de son feu: des spectres horribles passeront et repasseront sur lui, et il remplira des plus vives fureurs.

26. Les ténèbres les plus épaisses sont cachées dans le secret de son âme, et l'aveuglent entièrement. Il sera dévoré par un feu qui ne s'allume point, et qui ne s'éteint jamais; et abandonné de Dieu et des hommes, il sera laissé dans sa teinte, pénétré d'affliction et de désespoir.

27. Les cieux révéleront son iniquité par les soins qu'ils prendront de le punir, et la terre soulevée de ses crimes s'élèvera contre lui.

28. Ses biens seront mis au pillage; et les enfants de sa maison seront exposés à la violence de leurs ennemis. Ils seront retranchés de monde au jour de la fureur de Dieu.

29. C'est là le partage que Dieu réserve à l'impie, et le malheureux héritage qu'il recevra du Seigneur, pour la récompense de ses paroles pleines de blasphèmes.

## COMMENTARIUM.

sibi ambitioso spiritu consilium et intelligentiam arrogant; deinde timor, ne verum esset quod in extremo capite dixerat, cum judicium esse prædiceret et gladium ultorem, qui supplicium exigit à contibus, quales ipsi tametsi obscuro indicabant à Jobo. Hic timor nonnulli consilium commovebat animum, et in tristes trahebat cogitationes, quia et sapientem antea cognoverat Jobum, neque propter morum innocentiam indignum, quem Deus altioribus disciplinis imberet; et ipse hominis habitus, aut cum silet, paulò antequam verba loqueretur prophetica, et divino illustraretur oraculo, aut ipso verborum sono et novâ formâ dicendi, aliquid portendebat illum accipisse divinitus. Sed illud quoque cogitare potuit Sophar, hæc verba potius esse somniantis aut delirantis hominis, quàm ejus quem Spiritus afflavit divinus. Quare variè illius mentem versabant cogitationes, quæ sibi vicissim succedebant, et aliæ ab aliis vicissim pellebantur; dubitabat enim an fides habenda esset verbis hominis, in quo mens et judicium parim videretur habere constantiam; et huc inclinabat animus. Deinde succedebat alia cogitatio, quæ non indiguum putabat Jobum, cui in re tam gravi fides haberetur. Et ab hæc aut pellebatur aut nutabatur superior cogitatio. Cæterum quid in hoc co-

gitationum astu staturit, ipse sequenti versu ediserit.

VERS. 5. — DOCTRINAM QUAE NE ARGUIS AUDIAM, ET SPIRITUS INTELLIGENTIE MEAE RESPONDEBIT MIHI. In Hebraeo est: *Castigationem ignominiae meae audio, id est, castigationem meam ignominiosam, sive ignominie plenam, et cum probo ac dedecore meo conjunctam. Audiverat quippe probra (ut ipse quidem interpretabatur) quae Jobus in socios ejus dixerat, quae sibi attribuit propter societatem. Et spiritus ab intelligentia mea respondebit mihi, id est, mens, animus, cogitatio, intellectus subministrabit mihi abunde quod ad objecta respondeam. Post longam itaque dubitationem, et consultationem item longam secum aut etiam fortasse cum aliis ejusdem spiritus atque consilii sociis, tandem statuit Sophar verborum seu vaticinii Jobi nullam habendam esse rationem, neque deserendam intelligentiam quam domo secum attulerat, et adhuc animo retinebat; atque ideò affirmat auditurum se quid Jobus aut dicat aut velit; duobus tamen solutionem et lucem sumendam esse non ab eo quod docuisset Jobus, sed ab eo quod sua sibi mens et intelligentia suggereret, quasi illud, quidquid esset, et adhuc iudicio foret, et à majori sapientia profectum. Quare disputationem orditur non ab eà doctrina quam proximè acceperat à Jobo, sed ab illa quam in Idumaeorum scholis ante didicerat; et quam à majoribus haustam confirmarat daemon, quia eà ad desperationem et blasphemiam facilius putabat adactum Iobum, IJA SANCTUS.*

VERS. 4. — HOC SCIO À PRINCIPIO, EX QTO POSITUS EST HOMO SUPER TERRAM. — VERS. 5. — QUOD LAUS IMPIORUM BREVIS SIT, ET GAUDIUM HYPOCRITAE AD INSTAR PUNCTI. Iterat hic Sophar communem sibi cum amicis sententiam, nempe impiorum in hac vita certissimam ruinam, neque illorum felicitatem et gaudium esse diuturnam. *Laudem impiorum appellat statum florentem, honoribus et opibus ornatum, à quo laus mortalium multa petitur. Hypocritam verò hominem vocat impium, qui impietatem celat, seseque apparentis Dei cultus imagine curvestit, quod ad Jobum dirigi videtur, quasi pietatem ingeniosè simulasset, Deoque animum impium acerbo supplicio prodidisset. Quod ad ipsam attinet sententiam, à qua Sophar suae locutionis sumpsit initium, B. Gregorius notat illam quidem in se spectatam esse veram, sed minus bene beato Iob applicari; eam Septuaginta sic vertunt: *Laetitia autem impiorum ruina insignis; gaudium verò impiorum est perditio. Ubi laetitiam impiorum non solum in causali sensu, sed etiam quodammodo in formali ut esse identico, ut loquuntur philosophi, videntur ruinam ingentem appellare, et gaudium impiorum perditionem. Quasi non sit aliud laetari impios quam vivere; gaudere quam perdi. Ex quo loco B. Chrysostomus citatus in Catena Graeca sic argumentatur: S, inquit, eorum laetitia ingens est ruina, et gaudium perditio, quid dicemus esse ipsum infortunium? dic, amabo te, quid dolorem? quid animi aegritudinem? Itaque laus impiorum significat laeti-**

tiam, exultationem, gloriationem, quae sibi in bonis suis complacent. Haec sane brevis est, ut quae nunquam nisi per momentum possidetur; non enim possidetur nisi tempore praesenti: tempus autem praesens unico duntaxat instanti subsistit. Unde pulchrè B. Gregorius, lib. 45 Moralium, cap. 2: *Dicitur, inquit, breviter vitam praesentis, cordis oculum ad exordium rediit originis, ut ex antea colligat, quam nulla sunt quae videntur aliqua esse diu sent. Si enim ab ipso humani generis exordio usque ad hoc tempus, in quo sumus, mentis ocules ducimus, omne quod finiri potuit quam brevis fuerit videmus. Ponamus enim quemlibet hominem à primo die mundi conditum usque ad hodiernam diem vitam ducere, hodie tamen eandem vitam, quam quasi longam ducere videbatur, finire; ecce finis adest, praeterita jam nulla sunt, quia cuncta transierunt. Futurum in hoc mundo nihil est, quia nullum ad vitam vel brevissimum restat momentum. Ubi est ergo longum tempus, quod inter initium finemque deprehensum ita consumitur, ut si nec breve unquam fuisset? Impii itaque quia praesentem vitam diligunt, in eà procul dubio elati percipere laudem quaerunt, linguae favoribus extolluntur, nec esse boni, sed dici appetunt; quam videlicet laudem longam esse existimant, dum assequuntur, sed brevem intelligunt fuisse dum amittunt. In fine quippe eis ostenditur, quam nihil fuerit quod amaverunt.» Unde sequitur:*

ET GAUDIUM HYPOCRITAE AD INSTAR PUNCTI. Quod non solum intelligendum de brevitate, sed etiam de continuatione laborum. Nam sicut partes lineae copulantur puncto, et per illud continuantur, sic labores, et si gaudii punctum intercedit, per ipsum continuantur, ut punctum gaudii propè nihil aliud sit quam accessio sive laborum advocatio. Vox Hebraea hoc loco posita eadem est quae apud Jeremiam, cap. 4, vers. 20, *repentè, et cap. 48, vers. 9, subito; quasi dicit: Gaudium mundi, quo hypocrita exultat, subito extinguitur et evanescit, quasi scintilla, quae hoc ipso quo succensa splendorem emittit, extinguitur et absumitur. Quod et impii ipsi liberè confitentur apud Sapientem, cap. 5, 45: *Nos nati continuo deservimus esse. Continuo, nulla intercedente morà, ad instar puncti, quasi non majorem durationem contraxerit gaudium quam efformatio puncti in continuo.**

Punctum, ut aiunt Mathematici, est indivisibile quid, cuius si aliquid adimere velis, totum adimes. Tale igitur est gaudium peccatoris velut punctum; facili enim negotio, si aliquid ex his in quibus fundatur, ademeris, totum perdes; v. g. gaudet superbus honore suo: si honoris punctum adimas, totum ejus honorem destrues. Quod faciliè in Aman principe videre licet, qui maximo honore in regis curia gauderet, quem cum omnes adorarent, sicut Mardocheus vir alienigena, imò et captivus, cum noluit adorare; quamobrem tanto dolore affectus fuit magnus ille princeps, ut dixerit, Esther 5, 15: *Cum haec*

omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu video Mardocheum Judaeum sedentem ante fores regis. Eece quomodo miser affligatur, quòd non pro voto suo, iudae à captivo, honoratur, Quam parva injuria, imò ne reverè injuria, sed injuria tantum imaginatio, tam eximiam gloriam et gaudium ex illa procedens inturbavit! Verè gaudium hypocritae est ad instar puncti. Quantumvis enim magnus fuerit honor mundi, in puncto tamen consistit, et in puncto vana nescit.

Similiter pulchritudo, quae à feminis praecipuè in magnis aestimatur, et gaudium in eà fundatum, in puncto consistit. Tolle ex ultima parte nasi mulieris pulchrioris punctum pelliculae, et peribit ejus pulchritudo. Gaudium enim hypocritae ad instar puncti. Item etiam dicendum est de principum favore, qui in puncto consistit. Unicum verum principis seu regis, quod minus favorabile videatur, solet interdum occasio mortis esse his qui apud regem magis auctoritate pollebant, quia gaudium hypocritae ad instar puncti.

Pulchrè D. Bonaventura in Soliloquiis, cap. 2, locum hunc illustrans, ait: *Hypocrita est hic mundus, cuius gaudium est ad instar puncti, quod nec longum, nec latum, nec altum est, nec profundum. Non longum, quia ferè nullam habet durationem, et vix esse incipit, cum jam desinit; non latum, quia non verè dilatatur cor, sed multis amaritudinibus et perturbationibus est permixtum; non altum, quia non est de celestibus et divinis, sed de terrenis ac abjectis rebus; non profundum, quia nullas habet intus radices, sed totum ferè est exterius, unde celeriter evanescit. Nam, ut ait D. Augustinus super Joannem, *laetitia saeculi vanitas est, quae cum magno desiderio speratur ut veniat, et cum venerit, teneri non valet; et tandem extrema gaudii lactus occupat, Prov. 14, 45, quia ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt, Job. 21, 45. Etenim sicut punctum duo extrema terminat, jungit tamen et copulat, sic gaudium et felicitas humana duo extrema jungit et adunat, vitae scilicet ac mortis. Solent enim felicitates profane vitam terminare et morti initium praebere. Quod magis explicat Septuaginta, dum legitur: *Laetitia impiorum ruina ingens; gaudium autem impiorum perditio. Praeceptum enim ruit in mortem ac perditionem, qui se voluptatibus terrae tradit; quod etiam videtur dixisse Salomon, cum ait, Prov. 14, 45: *Risus dolore miscbitur, et extrema gaudii lactus occupat. Vido igitur quomodo gaudium hypocritae extrema inter se conjungat, sicut punctum copulare solet extrema linea. Finitur enim gaudium, ut iude luctus inceptus deducatur; neque verò expectatur, ut gaudium finem tandem habeat, aut ad extremum perveniat; quinimò medium gaudium luctus occupat et interceptat. Etenim si consulatur textus Hebraeus, sic verti poterit: *In risu dolebit cor; ut sit sensus: Dum quis adhuc ridet et laetatur, mox dolet, gemit et tristatur. Certè si gaudia nostra tristitibus comparantur, non aliter quam guttula vini, in ma-*****

gnum aquae dolium injecta, calamitatibus pessimè merguntur.

Sicè Seneca, lib. de Consolatione ad Polybium, cap. 25, miseriam vitae humanae considerans, temperatè iudicat esse lugendum, ne fortè nobis lacrymae ad omnia quae occurrunt flenda deficiant: *Lacrymis nostris, inquit, ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Omnes aegedum mortales circumspice. Larga ubique flendi et assidua materia. Aliam ad quoddam opus laboriosa egestas vocat. Alium ambitio nunquam quieta sollicitat. Alius divitias, quas optaverat, metuit, et voto laborat suo. Alium sollicitudo, alium labor torquet; alium, semper vestibulum obsequens, turba. Hic habere se dolet liberos, hic perdidisse. Lacrymae nobis decurrunt antequam cause dolendi. Non vides qualem nobis vitam rerum natura promiserit, quae primum nascentium hominum stertum esse voluit? Hoc principio edimur; hinc omnium sequentium annorum ordo consentit. Sic vitam agimus, ideòque moderatè id fieri debet à nobis quod saepe faciendum est; et respicientes quantum à tergo rerum tristium imminet, ut non finire lacrymas, ac certè reservare debeamus. Nulli parcedum esse rei magis quam huic, cuius tam frequens usus est.» Sic ille. Omnia igitur doleribus et angoribus plena sunt. Divitias nondum habitis dolor debetur, quia absentes sunt; habitis, quoniam non sine molestia curae servantur; amissis, quoniam qui diligebamus non sine dolore deserunt. Honores et dignitates tristitibus et afflictionibus immersa sunt; si praesentia, quia nimis occupationibus miseram animam obruunt; si absentia, quia mentem superbia distentant, et ejus quod enlebat vacuum, sine ulla miseratione dirumpunt. Quid de voluptatibus dicam, quae dum non praesto sunt, desiderio, et, dum praesto sunt, fastidio et moribus conscientiae discruciant? Verè igitur tot molestiarum comparatione laus, id est, exultatio et laetitia, impiorum brevis, et gaudium momentaneum vocatur, cum tota vita hominis angorem, microrum et inquietudinum plena sit, et vix omnis ejus voluptus unius momenti videatur, si cum assidua afflictione conferatur.*

VERS. 6. — SI ASCENDERIT USQUE AD COELUM SUPERBIA EJUS, ET CAPUT EJUS NUBES TIGERIT: — VERS. 7. — QUASI STERQUILINUM IN FINE PERDETUR; ET QUI EUM VIDERANT DICENT: UBI EST. Profectò, inquit, tametsi pompa impii ad coelum usque extollatur, et ita erectas incestat, ut nubes capite attingere videatur, tandem ad sterquilium sordes abijcitur, neque illum quisquam in priori gloria aut in hominum coetu deprehendat. Eundem omnino sensum Poeta regius his verbis expressit, Psal. 36, 20: *Inimici verò Domini mori ut honorificati fuerint ei exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient; cum quo necendum illud ejusdem Psalmi: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; et quaesivi eum; et non est inventus locus ejus. Ita David momentaneam felicitatem eleganter describit, quasi non longius duret quam transitus ille ho-**

minis, qui apparentem gloriam conspicuus paulo ulterius processit, conversusque statim, ut splendorem illum cerneret, nihil prorsus invenit in quod intuitum figeret: Non inveni, inquit, illum in illo statu ac loco, in quo paulo ante ipsum florentem videram, nam paulo post jam nusquam apparuit, ejusque locus mihi contemplanti nusquam occurrit, ut qui dejectus fuerit de illa sud prosperitate. Ceterum *superbiam* pro gloria atque splendore sumi res est nota, quemadmodum etiam id quod magnum est proverbiali figurâ dici ad coelum usque ascendere, seu coelum contingere, non solum apud sacros, sed etiam apud profanos scriptores. Quæ hyperbole poetis maximè usitata est, apud quos passim reperias similes loquendi formas.

*Caput inter nubila condit.*

Seneca in Thyeste, act. 5:

*Æqualis astris gradior, et cunctos super  
Altum superbo vertice attingens polum.*

Horatius, lib. 1, ode 4:

*Quod si me lyricis vatibus inseris,  
Sublimi feriam sidera vertice.*

Hic autem est mos Dei, quò quis se altius extulerit, profundius illum demergere, quia superbiam execratur. Unde Isaias ait, cap. 25, 9: *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret omnem superbiam gloriæ; et in ignominiam deducet omnes inultos terre.* Nos quidem nihil nobis arduum putamus, et coelum ipsum stultitiâ petimus; sed ridet conatus, qui omni celestidine nostrâ celsior est, Altissimus. Pro, *superbia ejus*, Septuaginta legunt, *dona ejus*; et pro, *caput ejus*, habent, *sacrificium ipsius*; id est: Si ita ejus dona excrevisse videntur, ut ad coelum usque ascendant, et munera ac sacrificia ejus ita appareant exterius Deo grata, ut nubes penetrare putentur, hæc eadem quæ eum elevant postea depriment, et in sterquilinum dejicient, ut omnes qui eum prius viderant, stupeant casum ejus, dicentes: Ubi est ille qui tam excelsus apparebat, ut coelum contingere videretur?

Pulchrè ad hunc locum S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap. 5: (Superbia, inquit, hypocrite usque ad coelum ascendere dicitur, quando ejus elatio celestem vitam agere videtur; cujus etiam caput quasi nubes tangit, quando principalis pars, videlicet intellectus illius, sanctorum precedentium coagari meritis creditur; sed quasi sterquilinum in fine perdetur, quia in morte suâ cum ad tormenta ducitur, stercoribus vitorum plenus à malignis spiritibus conculcatur.) Sic ille. Hypocrita nimirum saepenumero in hæc vitâ iudicatur ab hominibus habere jejunium Pauli, vigiliis Petri, elemosynas Abraham, etc.; sed in fine, inquit, quasi sterquilinum perdetur, id est, erit execrabilis tanquam sterquilinum foetidum, immundum et abominabile; et qui eum in mundo viderant, dicent: *Ubi est?* pro contemptum scilicet et admirationem, sicut D. Chrysostomus Sermone contra Judeos et Gentiles de nuptiis, expendit illud quod Deus dixit, Gen. 3, 9: *Adam, ubi es?* quasi voluerit Deus mentem ejus convertere ad miseriam conspiciendam, ad quam devenerat, et in quam

ex ingenti felicitate fuerat dejectus. Ita sancti in extremo judicio ad hypocritam dicent: *Ubi es?* in quam miseriam es deductus? qui jejunabas, orabas, elemosynas faciebas, ubi es? Per hæc opera ecce quò nos sumus perducti, et tu per eadem ubi es? ubi est jejunium? ubi abstinentia? ubi elemosynæ? etc. Ceterum hic notanda est optima sterquilinum cum hypocrita comparatio. Ut enim sæpè sterquilinum nive cooperitur, sic hypocrita justitiæ candore contegitur, sed adveniente sole, liquatà nive sterquilinum jam fetens aperitur, et adveniente sole justitiæ hypocritis ipsa detegitur.

VERS. 8. — *VELUT SOMNIUM AVOLANS NON INVENIETUR; TRANSEIT SICUT VISIO NOCTURNA (1).* — VERS. 9. — *OCULUS, QUI EUM VIDERAT, NON VIDERIT; NEQUE ULTRA INTUEBITUR EUM LOCUS SUUS.* Amplificatio est sententiæ præcedentis, quæ etiam David usus est in hæc verba, Psal. 72, 20: *Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tuâ imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Utraque est appositissima similitudo ad rerum temporalium inanitatem declarandam. Somnium enim celerrimè evanescit, estque inane, quanquam videatur delectare dormientem. Ut apud Lucianum Mycillus, cum expergisceret, sensit omnem felicitatem, quam somno conceperat, evanuisse. Et sicut, apud Isaiam, cap. 29, 8, *somniat ævrians et comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus*; et sicut *somniat sitiens et bibit; et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sedit*; ita quoque de divitiis in Psalmo 73, 6, David ait: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Nam præsens eorum vitæ quædam dormitio est, quia licet vigilent corpore, anima tamen ipsorum dormit. Quo exemplo ostendit, quò sicut pauperes quandoque somniant se multas habere divitas, sed, cum evigilant, vacuos et egenos se reperiunt, sic etiam illi qui in præsentî vitâ dormientes se divites putant, cum per mortem evigilaverint, tum nihil se habuisse comperiunt. Rectè igitur dicuntur divitiæ post somnum avolare, quia non nisi per somnium possidentur. Pulchrè de illis D. Ambrosius, lib. de Naboth, cap. 6: *Hic, inquit, acquiruntur; hic relinquuntur.* Somnium igitur loquimur, non patrimonium. Et D. Chrysostomus, hom. 52 in cap. 4 Joannis: (Quid autem omnino sunt divitiæ? umbra iners, fumus qui citò evanescit, flos fœni, vel etiam vilioris.)

Eandem rerum presentium inanitatem representat altera imaginis vel nocturnæ visionis similitudo, ut quæ visa celeriter evolat ab oculis, et in nihilum tendat. Simili sensu, in Psalmo 58, 7, David ait: *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Ita vocat imaginariam vitæ pompam et speciem inanissimam auri,

(1) Idem significat quod somnium in priore hemistichio, est enim repetitio sacre Scripturæ familiaris. (Menochius.)

Somnus et somnia nunquam non alata sunt apud poetas. Poeticæ phrasibus liber Jobi interfertur, quin et opus est verè poeticum. Habes in Isaiâ, 29, 7, descriptionem hominis, qui per somnum largo cibo et potu relictur, experrectus verò fame siti laborat. Hæc est vitæavarorum et impiorum imago: famelicis semper, nunquam saturi. (Calmet.)

argenti, voluptatum et volaticæ gloriæ, quæ veluti visio nocturna et somnium surgentium evanescent. Multus est cum divinis aliis viris et prophetis psalmista in hæc veritate inculcandâ; qui cum multa et illustra in eandem rem dixisset, et paucis vellet omnia complecti, non potuit exaggerare magnificentiis et sublimis quàm cum dixit, Psal. 58, 6: *Veruntamen universa vanitas omnis homo vivens.* Neminem excipit: *Omnis homo, inquit, vivens; dum vivit, viget, floret, vel, ut est propriè in Hebræo, nitsah,* hoc est, dum stat, dum firmiter consistit, qui nixus adamantino fundamento videatur, potens et gloriosus, nihil est aliud quàm universa vanitas, sive vanitas universitatis; quidquid enim in illo est, robur, sanitas, pulchritudo, opes, dignitas, potentia, totum fragile et momentaneum est; fatuos ignes imitatur aeris ardore expressos in tenui materiâ; subito lucent, subito emoriuntur.

Porro ille dicendi modus: *Neque ultra intuebitur eum locus suus*, similis est isti capitis septimi vers. 10: *Nec cognosceat eum amplius locus ejus*; quia scilicet non rediit in eum; et si rediret, non cognosceat, non intuebitur ipsum locus suus, utpote ab alio occupatus. Vel per hypallagen, q. d.: Non intuebitur aut cognosceat ipse locum suum, quia non revertetur, et quamvis revertetur, immutatum reperiret. Similis sententia in Psalmis dicitur: *Quæres locum ejus, et non invenies*, Psal. 56, 11. Item Psal. 102, 16: *Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognosceat amplius locum suum.* Ad quæ loca vide quid à nobis in Expositione Patrum Græcorum in Psalmos annotatum sit.

VERS. 10. — *FILII EJUS ATTERENTUR EGESTATE, ET MANUS ILLIUS REDDENT EI DOLOREM SUUM.* In Hebræo est: *Filii ejus placabunt temes*; quos scilicet eorum pater bonis omnibus spoliaverat, et pauperes effecerat, quod fiet, cum vel ipsi ad pauperiem redacti fuerint, vel cum à iudicibus ad restituendum rapta damnati fuerint, vel certè hoc sponte fecerint iudicium timentes. *Et manus ejus reddent robur suum*, hoc est, opes vi raptas, quas manibus suis diriperat; has robur vocat, quia in opibus robur ac potentia hominis secularis consistit.

Septuaginta versum hunc transtulerunt: *Filios ejus disperdant minores, et ipse manus ejus succendant dolores.* Ipse enim, inquit Scholias, per suas sibi actiones succendit ignem. S. Augustinus legit, *succendantur doloribus*; Aquila, *attrahent*; Symmachus, *inferent*. Significat autem impium, cum è vivis esserit, nullam æs filiorum felicitate et gloriâ consolationem expecturum; siquidem illis perpetua insequetur egestas, et ipse operum expendet pœnas, ad quæ impiis et sceleratis manus adjeceat; atque ita laboris sui fructu privabitur. Ideo enim parentes plerimque congerendis student pecuniis, ut auctos relinquunt filios suos opibus, in quorum ipsi splendore splendeant, et in vitâ amplissimis ornata et illustratâ luminibus, ipsi quoque vitâ functi naturali gloriosi quodammodo perpetuo vivant. Sed impii atque hypo-

s. s. xiii.

critæ non assententur quod optabant, quia filios, quorum ipsi serviant abundantie et gloriæ, arecabit et opprimit egestas; et qui magnam putabant habituri familiam et splendidam domum, illi domo pulsati alienis impediis adificatâ precario vivunt, quos ad alienam misericordiam adiget extrema necessitas.

Hoc idem impiis non tam precatur quàm prædicit David, Psal. 108, 10: *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, et ejiciantur de habitationibus suis.* Est autem filiorum inopia sive dolor maximo parentibus dolori, in quorum corpore non minis acerbè cruciantur quàm in suo. Scitum dignum est quod de Polycarpo quodam Siculo refertur, cum magnis cruciatibus adigeretur ad erimen quoddam, de quo accusabatur, confitendum, semper immobilem et inexorabilem negasse; sed cum iudex novum tormenti genus machinatus præcipere, ut tandem torqueretur ejus filius quousque pater confiteretur, statim patrem, simul ac filius tormentum subiret, totum crimen detexisse, et interrogatum cur inter filii cruciatu aperuisset quod inter proprios celasset, respondisse quia ægrissus sui filii tormenta quàm sua propria sustinebat, cum parentis animus magis esset in filio, quoniam amabat, quàm in proprio corpore quoniam amabat. Graviter igitur afflictorum hypocritæ eum eorum filii malè tractabuntur et inopiâ consumentur.

ET MANUS ILLIUS REDDENT EI DOLOREM SUUM, id est, ulciscuntur illum mores sui, quia talia patietur damna, qualia aliis inflixit. Pulchrè S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap. 5: *Quid per manus, inquit, nisi opera designantur? Manus itaque illius ei dolorem reddent, quia damnationem justam æs iniqua recipiet operatione. Bene autem non dabant, sed reddent, dicitur, quia perversæ ejus actiones æternum ei supplicium quasi quoddam debitum solvent.* Sic ille. Similiter Nicetas: *Manus, inquit, actiones significant; sunt etenim illæ instrumenta agendi. Sicut igitur justo manus suæ reddent gaudium, delectationem et gloriam, illudque adimpletum erit, Isaie 5, 10: Dicitur justo quoniam bene, quoniam fructum adventitiam suarum comedit, ita manus hypocrite reddent dolorem suum, id est, quem ipsemet manibus suis procuravit, et debitum fecit. Unde sequitur: *Ve impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei.* Quò si quæras, quæ illius manus? quæ opera? Nonne jejunia, orationes, elemosynæ? Nonne hujusmodi manus reddent justis infabile præmium? Ita quidem. Sed isti fuerunt veri heroldi et accipitres, qui per pennas talium operum in sublime evolarunt, omnia quæ egerunt in Dei gloriam referentes, ille tamen fuit struthio sublimibus quidem pennis ornatus, sed per quos non terrena transeundit, qui omnia quæ agebat præter terrenam gloriam operabatur.*

VERS. 11. — *OSSA EJUS IMPLEBUNTUR VITIS ADOLESCENTILÆ EJUS ET CUM EO IN FULVÈRE DORMIENT.* Id est, vitis, quibus puer assuevit, vacabit per totam vitam usque ad senium et usque ad mortem. Cur, quæso, non dicit caro, sed *ossa ejus*? Quia nimirum sicut quæ ossibus insident cum ipsis durescent ac durant,

4

ita planè vita juventutis quotidie duriora existunt, adeoque inolescunt, ut etiam in senectute solidentur, et quod deterius est, non imminuta, sed plerumque multiplicata. Nam, ut pulchrè ad hunc locum S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap. 5: «Dure, inquit, in eo pravitationis consuetudines à vitio sumptæ sunt pessimæ inchoationis. Unde scriptum est in Proverbiis, cap. 22, v. 6: *Adolescens juxta viam suam etiam cum semuerit non recedet ab eâ.* Quæ nimirum ossa cum eo in pulvere dormient, quia eò usque in illo iniquæ consuetudines perdurant, quò hunc ad mortis pulverem pertrahant, etc. Ita S. Gregorius. Cui non dissimilia habet Clemens Alexandrinus lib. 2 Pædagogici, cap. 10: «Sæpenuerò, inquit, viri in malis vitæ institutis educati evaserunt mulieribus magis effrenatis; quasi diceret: Illi ipsi qui homines nascuntur, sæpenuerò ob malam educationem non crescent in viros, sed senescunt in feminas, naturâ per malam educationem degenerant. Atque utinam juventutis vitæ in senectute sisterent, sed, proh dolor! cum peccatore in pulvere dormient, hoc est, in sepulcro reponentur. Nam cum cætera omnia (ut benè ad hunc locum Titelmanus advertit) post mortem relinquuntur, sola opera ab incunabulo usque ad sepulcrum mortuòs consequuntur. Quem Deus olim non movit lapidum, ut ab animis Hebræorum superstitiones Ægyptiacas, quibus innutriti fuerant, aboleret? «Et tamen (inquit D. Chrysostomus lib. 3 adversus vituperatores vitæ monasticæ) illi vitæ non effugerunt, sed cum manâ celestis cibo alerentur, cepas, allia et cætera Ægypti mala præferant atque requirunt; adeò consuetudo valet, tantumque habet roboris! Cum olim D. Gregorius Nazianzenus Athenis commoratus vidisset Julianum adhuc juvenem, sed libere et illiberaliter viventem, statim futura ejus scelera non quidem ex divinâ revelatione, sed ex malâ ejus institutione prophetavit; nam, orat. 2 contra Julianum: «Me, inquit, morum ipsius inconstantia atque incredibilis quedam mentis emotio vaitem effieciat. » Et paulò post commemorans juveniliâ ejus vitâ subdit: «Hæc ut conspexi, statim profectus sum: Quale malum Romanorum terra contriit! Ac si ex malâ juventutis educatione certissimum malæ senectutis vaticinium desumeretur. Nam mores in pueritiâ plerumque ad senectutem propagantur. Quod D. Hieronymus, in epist. 7 ad Letam, apertè similitudinibus illustrans, pulchrè expressit his verbis: «Difficiliter eruditur quod rudes anni perberunt. Lanarum conchyliâ quis in pristinum condorem revocat? Recens testa diu et sapore retinet, et et odorem quo primùm imbuta est. » Quæ verba planè collidunt et cum notissimo carmine Horatii epist. 4 ad Lollium:

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem  
Testa diu, etc.;*

et cum celebratissimis verbis Quintilianii lib. 4 Institut.: «Naturâ, inquit, tenacissimi sumus eorum quæ crudibus annis peregrinamus, ut sapor, quo nova imbutus, durat; nec lanarum colores, quibus simplex

ille candor mutatus est, elui possunt; ac denique cum illâ sententiâ Philonis: Quod omnis probus sit liber; «Sicut vasa, inquit, odorem quo primùm fuerint imbuta, referunt, sic juvenum animi, quos primùm formas imaginatione conceperit, nunquam aboleri sistant. » Sed omnium gravissimè Salomon à S. Gregorio supra citatus, cujus proverbium in publicas scholas videtur deluxisse, ut ex D. Hieronymo in epistola 7 ad Letam et 42 ad Gaudentium desumitur; in utraq; enim ita habet: «Legi in scholis puer: Agrè reprehendas, quod sinis consuescere; quasi proverbii veritati publica gymnasia adhaerent celebritatem. Proverbii quoque nomen jure meretur illa quæ vulgi jam sermone celebratur sententia: *Qualis vita, talis et mors;* vel, ut frequentius dici solet: *sicut vivisti, sic et moris.* Barus quippe inventur in morte dissimilis sui, prout in vitâ fuit. Quales vivunt, tales moriuntur ferè omnes homines; et vitæ gressus mortis egressus similes penè infallibiliter futuros designant. Unde David ait, Psal. 89, v. 8: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Ubi noster et Septuaginta posuerunt *seculum nostrum*, ponit D. Hieronymus in Epist. ad Cyprianum *negligentias nostras;* et quinta Editio legit *adulescentiam nostram.* Et miratur sanctus Hieronymus quòd pro erroribus adulescentiæ positum fuerit *seculum* in Vulgato et Septuaginta. Cur igitur ubi legendum erat de erroribus adulescentiæ, maluit noster legere *seculum nostrum?* Equidem in adulescentiâ clarè ostenditur totum seculum hominis, totius vitæ nostræ monstratur curriculum. Qualis enim fuerit quis in vitâ, qualis adoleverit, talis inventur esse vel in ipsis vitæ consummatione. Quò spectans Hugo cardinalis in cap. 4 Judicium: «Barò, inquit, videmus quempiam benè mori qui malè vixerit. Num leonem vidisti aliquandò covinâ caudâ præditum? Fallitur adolescens, qui cæcatis suæ flore confusus effusus sequitur peccandi licentiam. » Planè nullam animam et in eadè et in capite non est sui simile; et penè nullus homo est qui non assimiletur sibi et in morte et in vitâ. Quod omninò hic insinuat, dum dicitur: *Ossa ejus implebantur vitæ adulescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient.* Septuaginta breviter dixerunt: *Ossa ejus implebantur vitæ ejus, et cum eo in pulvere dormient.* Quasi nihil aliud appareat in homine quam moribundo, et in ossa pulveremque redigendo, quàm id quod apparuit in eodem juvenè et adolecente. Erit homo jam magis cadaver quam corpus; erit ossium congeries proximus, et illa ipsa mortis molè ossa in affectibus et in cupiditatibus prorsus sibi similis erit prout erat in juventute flore. Totâ illâ juvenis effrenâ occupabit ipsum exitum mortis.

VERS. 12. — *CUM ENIM DULCE FUIT IN ORE EJUS MALUM, ABSCONDET ILLUD SUB LINGUÂ SUA (1).* — VERS. 13.

(1) Versiculus iste et quatuor sequentes perpetuam continent allegoriam hominis bibentis virus, cujus sapor ori quidem dulcis est, ipsum verò viscera gravissimè deponit. Ita pariter impius iniquitate de-

— *PASCET ILLA, ET NON DERELINQUET ILLUD; ET CELABIT IN GUTTURE SUO.* In Hebræo est: *Si dulcescebat in ore ejus malum, abscondebant illud sub linguâ sua, quod Septuaginta transierunt: si dulcerit in ore ejus malitia, abscondet eam sub linguâ sua.* Pro nullità in editione Romanâ est *multigritas.* Cicero vitiositatem appellat quam Græci *κακία* vocant. Dicitur autem malitia dulcescere, quando nobis arridere et placere incipit, sumptâ tralatione à cibis dulcibus, qui palato grati et accepti sunt. Ideò additur *in ore ejus.* Nam ibi cibum gustamus. Malum autem propriè loquendo non dulcescit in ore. Eleganter verò addit: *Abscondet illud sub linguâ sua,* id est, occultabit ac teget illud simulando dissimulandoque, aut mentiendo, ut hypocritæ solent; qui volunt videri probi, cum sint improbi; quasi dicat: Teget illud sermone ficto et fraudis pleno occultoque. Nam quod sub linguâ est non ita conspicitur et apparet ut quod supra linguam; ideòque sub linguâ dicitur esse verba tecta et fraudulenta, quibus alios decipimus et fallimus. Vel abscondit illud sub linguâ sua, nec dimittit statim in ventrem, ut diutius ejus suavitate perfruarur. Loquitur enim de peccatore delectante se in peccato ad modum hominis dulce quidpiam ore versantis, q. d.: Sicut cum quis comedit dulciter multum ac diu illa ore suo volvit ac revolvit retinetque, ut suavi illo sapore diutius perfruarur, sic impius peccandi illecebris inescens in faucibus anime tenacissimè voluptatis malum recondit, nec illud statim deglutit, nec vorabit, nec evomet, aut abjicit, sed in ipso guttore velut in repositoryo recondit, optans sibi collum gruis cum Philoxeno qui apud Aristotelem lib. 5 Ethicorum cap. 11, et Agellium lib. 19, cap. 2, collum cupiebat longissimum, ut lentâ ciborum transmissione diutius gule avidissimè indulgeret nepos prodigiosus.

En in quantâ suorum scelerum ignorantie versentur peccatores, ut detestanda mala tanquam desideranda bona complectantur. His enim omnibus significatur pertinax et indesinens studium malitiam animo fovendi et insatiabile cacothese peccandi. Corrupta sine dolo natura in illicitas semper proclivis est voluptatis, quarum amor nobiscum prodit et emergit in vitâ, vixque ullius hominis industriâ convelli potest. Quâ de re singulari copîa judicio crudito in libris Ethicorum disputat Aristoteles, atque lib. 2, cap. 3, omnibus hominibus à teneris annis, à primâ pueritiâ, innutritam esse voluptatem, et *illam vitæ humanæ, quæ illius affectionis velut colore tineta penitusque imbuta esse videatur;* et proinde rem esse maximè

lectatam, pascitque sese malis, quæ proximo irrogat. Ea tamen voluptas quantò illi stabit! Malorum ejus gravitas criminum gravitatem æquabit. Hebræus horum quatuor versiculorum ita reddi potest; vers. 12: *Si impius sumpserit malum in ore suo, tanquam cibum, quo vescitur, et posuerit illud in linguâ sua, ut illud gustet;* v. 13: *Si in ore suo illud retinet, nec espuit; sed potius conservat in medio palati sui;* v. 14: *Hic mutabitur in visceribus, transibitque intra illum in fœt aspicius;* v. 15: *Vomet quæ gustavit; Deus è ventre ejus illud exellet;* v. 16: *Eritque perinde ac si gustaverit venenum aspicius, vel à viperâ morsus fuerit.* (Calmet.)

arduum atque operosum, tam insitam et inusitam animis inclinationem exure atque deponere. Quò fecit dictum Heracliti, qui difficilissimum esse aiebat resequere voluptati quam iram. Lempi ipse Lycæi princeps lib. 10 Ethicorum, cap. 4, cum ratas sententias pronuntiat: «Omnes, inquit, potissimum juvenada sequuntur, aspernanturque et fugiunt ea quæ molestiam adferunt. » Addit paulò post, ut plurimum omnes *propendere ad voluptatem* illique *servire.* Vis autem hujus affectionis maximè in potentibus viris occurrat præci avi, qui propter abundantem fortunam et dominatis sui amplitudinem cum habere quidlibet in potestate, et propè lumen omne honestatis vitio et scelere inobscuravissent, ad querendam et fruendam voluptatem magno studio et ardore ferebantur. Hinc tribuere à multis laudes voluptati ut regie matrici vitæ et moderatæ actionum, quam non minus quam bonam Deam tantum non aris et religionibus consecraverunt. Hii quidem titant Epicuræ, qui in ejus velut dominati et possessione felicitatem collocant; et fisdem sacris initiatus Aristippus magnum ex eâ Numen efficit.

Sed multò veritas alii quoque inter Gentiles sanior mente prædit penitus in seipso introentes, et quotidianâ experientiâ docti, voluptatem infamissimam esse lenam putarunt, quæ plurimum et publice et private rei incommodat. Hinc Archytas Tarentinus celebrem illam sententiam protulit, quam inter alios M. Tullius in libro de Senectute aureâ sua linguâ divinè ornatam magno bono legentium commendavit, nullam esse capitaliorem pestem quam voluptatem corporis hominibus à naturâ datam, cujus voluptatis avida libidines tenerè et effrenatè ad profundum incitentur. Quid verò Academicus in hoc genere monuerit præstat in clarissimorum virorum monumentis, quæ cum Cicero pervoluisset, Platonice illum florem elegit, quo venustior ejus fiet oratio: «Divinè enim Plato eam amorem voluptatem appellat, quòd eâ videlicet homines capiuntur ut hamo pisces. Dixit hoc ille in Timæo, sed ego animadverti ab eodem in Philebo in eam rem ponî multa et præclara, nam voluptatis libellæ aris esse *μαστιγίον*, quibus animi fascinentur. Et alio in loco docet eandem nobis exhibere *impedimenta, moros, difficultates infuitas,* ne videlicet in præstantium facinororum cursum ingrediamur, quò nos virtus et Deus vocant.

Sed innumera propè sunt ejusmodi viri sapientis oracula, quæ prætermitto, unius Aristotelis satis esse ratus gravissimam auctoritatem; qui notat lib. 2 Ethicorum cap. 8 et 9, nos à naturâ fictos ad voluptatem, et proinde, ut illius verbo utar, *pronos maximè ad intemperantiam esse, ad quam quicquæ snopie nutu et impulsu labatur.* Quid igitur? quam viam incedendum censet, quidve molendum, ne in perniciem ruamur? In omnibus aut maximè *id quod suave est ipsamque adeò voluptatem fugiendum.* Longè ante de sapientibus Græciæ unus Solon auream illam dictum pronuntiaverat: *Voluptatem fuge;* addebatque ratio-

nem: *Ipsa enim, aegritudinem et acerbum animi sensum progenerat.* Eandem ipsam ob causam Seneca Lucilium instruens, Epist. 27, aiebat magnò lui voluptates: «Dimitte, inquit, istas voluptates turbidas magnò lueudas; non venturæ tantum sed præteritæ nocent.»

Hæc est totius philosophiæ vox, et istis monitis exedræ et auditoria personant, quæ divinitus tamen excellentibusquæ SS. Patribus dicuntur. Hic spectat S. Gregoriū Nysseni illustre pronuntiatum in Sermone de Resurrectione: *Omnis voluptas conjunctum habet dolorem atque molestiam.* Ubi mihi alludere videtur ad inventum Platonium, qui triangulum efficiebat ethicum, cujus basis animus foret; latera duo, hinc voluptas, inde dolor, quæ in puncto conjungerentur, sic ut cognata videantur, et ab uno in aliud transitus sit facilissimus; sed molestia quidem et amari animi sensus, quem prognit voluptas, multum illius suavitate exuperat, ut Basilii Magni docet in Psal. 35: «Oblectatio, inquit, voluptatis corporeæ, plus doloris habet quàm jucunditatis.» Id quod sequenti versu clarè significatur, cum dicitur:

VERS. 14. — PANIS EJUS IN UTERO ILLIUS VERTITUR IN FEL ASPIDIUM INTRINSECUS (1). Id est, deliciae illæ peccati, quibus ut pane fruebatur, et ut cibo suavissimo delectabatur, vertentur ei in fel, venenum scilicet amarissimum, conscientia tormentum, intestinum exitum, præsens et æternum. Fel enim in arcano sermone penarum acerbitate significat, quibus impij et infandis sceleribus cooperiti in ævum sempiternum cruciantur. Quemadmodum in yatum prædicationibus consimili sententiâ et feces calicis, et absinthium, et fel draconum, aliaque hujusmodi amaritudine et acerbitate præcipua reponuntur. Sic minatur apud Jeremiam Deus, cum de miseriam alamitate et funesto exitio loqueretur, cap. 25, 15: *Sitabo eos absinthio, et potabo eos felle.* Quin et in acris oraculis ipsa nequitia vocatur absinthium, quod amaritudine sua miserum animum vexet et conciat. Rex sapiens in proverbis ait mella esse in ore neretris ad maleficium stillantis, *novissima autem illius amara quasi absinthium*, Prov. 5, 4. Quod ad culpam referendum esse vult Lyranus. Prodit autem Jrigenes adeò amarum esse absinthium, ut si forte in mel injiciatur, amaritudine suâ vincat mellis suavitatem et dulcedinem illam omnem corruptat. Quod enim nostram mirificè illustrare potest. Nam libido voluptatis, licet habere aliquid mellis videatur, tamen subito migrat in absinthium, in eam videlicet amaritudinem, quâ vix major cogitari ulla potest, quæque omnem delectationis sensum obtundat. Sed in illo proverbii loco Septuaginta pro absinthio fel habent, quod, uti diximus, est aliud symbolum divinitus excoctatum ad peccati molestiam intelligendam.

Sic Moyses in Deuteronomio flagitium et scelus fel (1) PANIS VERTITUR IN FEL, quasi dicat: Deliciae peccati, quibus ut melleo et sapido pane fruebatur, vertentur illi in fel aspidum, seu venenum, puta in tormentum conscientia, in exitum corporis et anime. (Tirinus.)

draconum appellat, sicut hoc loco Sophar fel aspidum vocat. Cur autem fel aspidum vel draconum? Peritæ et maximè appositè ad rem explicandam. Nam in quovis animante fel amaritudinem tantam habet, ut à canibus non attingatur, ut auctor est Plinius lib. 11, cap. 37, qui etiam in felle nigro insanie homini causam esse putat. In dracone autem et aspidè non modò fel amarum est, verùm etiam cum veneno pestilenti conjunctum, ut vim peccati videamus et expertem esse voluptatis et insanie mortisque opificem.

Hanc opinor, ob causam, S. Petrus Apostolorum princeps Simonem arguens, pecuniam pro divinis donis sceleratè pactione deferentem, inter alia sic monuit, Act. 8, 25: *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* Quod arcanum sublimis theologi dictum exceptum honorificè ab Ecclesiâ, à doctis viris qui sacras Litteras interpretantur variè expositum fuit. Mihi videtur voluisse dicere Simonem Magum totum animo et corpore impuratum, amarissimo veluti felle oblitum et contaminatum esse, a quoque mali dæmonis undique obligatum, criminibusque oppressum teneri, nihil habere suavitatis, quam divinus Spiritus solet piis animis infundere, denique veluti quoddam esse monstrum est draconio felle compositum et concretum, ut conquisitis magno studio verbis D. Petrus usus videatur ad impuri hominis statum ante oculos subjiciendum. Nec sine ratione fel nominavit, ut hominem fanaticum et superbum sancto Spiritui inimicum et perducillum effugeret, cujus dona impio mercimonio comparare studuit. Nam Spiritus quidem sanctus columbae specie pingi et formari solet; quæ columba felle carens, et tota amabilis et divina est, et sine pretio in naturam omnem benefica. Ille igitur felle amaritudinis plenus gigantum more cum illâ bonitate incredibili recordi pugnavit, quod Apostolus illi voluit objicere.

Sed quoniam divinus amanuens Lucas Græco stylo est usus, alium quemdam sententiæ illius sensum verba suggerunt; neque enim, si hæere dictioni velimus, dixit: *Video te in felle amaritudinis, sed in fel acerbitalis.* Quâ picturatâ oratione et sacris veluti emblematis distinctâ Simoni Mago D. Petrus exitum omni acerbitate horribile sævumque denuntiat. Ubi notandum est iste loquendi modus in fel, vel ad fel acerbitalis, quemadmodum in diris et imprecationibus veteres aiebant Græci, *ad corvos, ad beatam, in profuentem, in malam rem.* Te, inquit, feli acerbitalis jam devotum prævideo; Satanae vinculis irretitus et iniquitate obligatus divino furori objicis, ais cum tuâ pecuniâ in perditionem; horrificum et crudele fulmen in tuam caput imminet, fel draconum in sempiternum tempus, et divine iracundiæ sævus calix tuus perditæ et ambitiosæ voluntati à justissimo Deo reservatur.

Eodem ergo sensu Sophar cum perniciem illius adumbrat, qui divinorum judiciorum immemor se in omne genus voluptatis ingurgitavit, et cum illo ex Evangelio Epulone delicatissimè et sumptuosissimè

brevi ævi cursum peregit: *Panis, inquit, ejus vertitur in fel aspidum;* sempiternum per hoc exitum designans. Quo loco imprimis peccatum pani confertur; deinde describitur impius, qui sceleribus suis delectatur; et præjucunditate, quam sentit, comparatur homini comedenti nem aliquam suavissimam, quam solet, antequàm deglutiat, in ore versare, volvere atque revolvere, sed tandem peccatum ei vertitur in fel aspidum, id est, exitum amarissimum, cum apud inferos sempiternis afficiatur cruciatibus.

De eodem pane sermo est Salomoni cum ait, Prov. 20, 17: *Suavis est homini panis mendacii, et postea impletur os ejus calculo,* seu, ut alii vertunt, *arena.* Ubi *repleri os calculo* significat id quod initio molle visum verti postea in duritiam; et quod mel primoribus labris, in ventriculo fel fieri; nempe mendaces gravissimè à Deo, à propriâ conscientia, à periculis consequentibus cruciari. Quod etiam verum est de omni peccato et illicita usurpatione, juxta illud:

*Nocet empty dolore voluptas.*

Significatur igitur opes mendacis et fraudibus quasitas, quamvis initio grate videantur, postea tamen cum possidentur insuaves solere esse et noxias, veluti si panis, quo aliquis vesceretur permixtus haberet lapillos et arenulas. Id quod potest in universum peccato accommodari, quod admixtos habet lapillos quibus dentes franguntur, vel propter conscientia aculeos, vel propter plurimorum malorum quæ consequi solent, asperitatem, vel sequi denique quia tandem à Deo apud inferos acerrimè punietur.

VERS. 15. — DIVITIIS QUAS DEVORAVIT EVOMET, ET DE VENTRE ILLIUS EXTRAHET DEUS (1). Eandem sententiam amplificat, et novâ loquendi formâ magis explicat, dolorem indicens injuste voluptati. Neque enim hic aliud agit Sophar quàm docere, impiorum audaciam et vim injustam non abituram impunè. Expende vim illius verbi, *devoravit,* quo communiter Scripturæ sacrae utuntur ad affectum grandem exprimentum, quo avari rapiunt et concludunt divitias quas acquirunt, metaphorâ sumptâ à guloso. Videbis hominem gulosum, cujus Deus venter est, qui hinc inde cibos conquirat, et illos devorans, in stomachum magnâ cum voluptate trajicit, atque ita illum replet, ut non valens tot tantaque digerere, imò nec sustinere, post brevem dormitionem, cui se tradiderat, expergetur, torsionibus afflictus, incipit omnia evomere majori cum dolore quàm fuerat voluptas in deglutiendo; et sudans præ anxietate, per varias quas coactus facit, eruptiones, totum quo se ingurgit.

(1) Septuaginta: *Angelus extrahet illum è domo ejus.* Eripiet illi vitam, et præmaturâ morte subducet. Græco libri hujus interpreti opinio hæc altè sedebat, angelum esse quemdam mortis, qui superans hominum horæ presidentis, animam è corpore educeret. Inferitis, capite 25, 25: *Si fuerint nulle angeli mortiferi, unus eorum non vulnerabit eum, si cogitaverit corde reverti ad Dominum.* Et capite 56, 14: *Et vita eorum vulnerata ab Angelis.* Textus Hebræus Proverbiorum 17, 11, huic opinioni favet: *Angelus crudelis mittitur contra eum.* Vide etiam Psalmum 55, 8: *Angelus Domini persequens eos;* et Psalmum 77, 49: *Inimicos calamitatum per Angelos malos.* (Calmet.)

taverat, et quod ventre concluderat, evomit et cruciat. Talis est dives avarus, qui divitiis tanquàm Deo affectus nihil magis curæ habet quàm eas congregare, implere saccos, arcas, borrea, cellaria; devorat viudas, pupillos; venit subito insperata mors, cujus angustiis expergetur et afflictus incipit cum luctu et dolore omnia evomere quæ cum voluptate congregaverat; variisque legatis in filios, consanguineos, famulos, ecclesias, xenodochia, quasi quibusdam eruptionibus, omnia evomit, et vacuis omnibus remanet, nihil sibi nisi anxietatem retinens, quod secum ferre possit. Verè ergo divitias quas devoraverat evomet, quod cum violentiâ laboreque et cruciatu pectoris, imò totius corporis ut plurimum contingit; graviusque dolebit prædator, cum se viderit alienis quæ rapuit bonis privari, quàm doluit pauperulus, quem spoliavit. Quare hunc locum sic interpretatur S. Hieronymus: «Quod inique et violenter rapuit et invasit, merito ei Deus poenas illatis criminibus ejus reddidit; et ita extorquebitur ab iniquo quod injustè abstulerit.» Luculentius hoc idem exponit sanctus Thomas ad eundem locum: «Divitias quas rapierit acquisivit cum abominatione perdet, et divino judicio per quandam violentiam ei auferentur.» Evomet, inquit, divitiis tanquàm cibum malè digestum. «Uti enim (adjungit sanctus Thomas) cibus comestus, si digeri non potest, per vomitum extra ejectionem cum abominatione et dolore, ita quandoque peccatorum bona temporalia, quæ in hoc mundo malè acquirunt, quasi indigesta divino judicio cum dolore amittunt.»

Videas interdum alicujus divitis domum velut regium ærarium et opibus et pretiosis suppellectili opulentam paulatim deinde minui, evacuari, et demum exinaniri. Fortè aliena bona injustè rapta asservabat.

ET DE VENTRE ILLIUS EXTRAHET EAS DEUS. Septuaginta vertunt: *De domo ejus.* Domi enim tanquàm in ventriculo recondite asservabantur. Est quidem hujusmodi prædonis domus velut stomachus insatiabili quidam voracitate opes alienas deglutiens. Verbum enim *devoravit*, Hebræicè *balagh*, significat *inexplètiliter vorare.* Philippus intelligit cor, quod nimirum affectus et amor in rapinis sit. Et cum aqua furtivæ dulciores sint, ut malè proposuit, sed turpiter experta adultera illa in proverbis, planè dulcissimas amant isti quæ rapuerunt, quasi magno suo labore ac periculo comparata; idcirco gravius dolebant amittere quæ dulcior affectu amabant et possidebant. Quo in sensu præsentem locum ita Philippus interpretatur: «In ventre, id est, in corde suo, pro iniquitatibus suis camaras dolores, acerbos et nimios conscientia torqueat patietur; et quod per violentiam rapuit, et cupiditatis studio devoravit, extorquebitur ab ini-quo.» Sic ille.

Adeò contestata hæc veritas est, ut propterea serio et graviter admoneat S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 9, ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus: «Absit, inquit, ut tam longè à divini æquitate recedamus, nec divitiis nostras cum

aliorum lacrymis miscemus, à quibus tanquam à rubiginè et tineâ consumentur, aut (ut Scripturæ verbo utar) evoventur. Hæc ille. Præstringit maxime potentiam ac divitum tyrannicam impietatem, qui vel diripiunt pauperum bona, vel saltem, cum miserum utantur ministerio, debitam mercedem nequaquam pauperis reddunt, nec illorum sudoribus indolent, nec precibus inflectuntur, nec lacrymis permoventur. Horum igitur bona luctu miserorum madentia diu non possunt salva et integra permanere. Est enim furtum rubigo, est tineæ, quæ bonâ istorum tyrannorum, quibus adherent, funditis exesa disperdet. Est planè venenum, quo hansto vel qui ebibit emoriatur, vel saltem reliqui etiam salubriores cibi simul à stomacho prægravato evoventur.

Hæc spectat illud prophetae Habacuc, cap. 2, 6: *Vomitibus ignominie super gloriam, quia nimium in avaritia; describit autem cuiusdam tyranni divitis divitias sine termino congregantis et concupiscentis miserabilem statum, dicens: Væ ei qui multiplicat non sua, usquequod et aggravat contra se densam lutum?* Loquitur propheta ad litteram de Nabuchodonosor qui non contentus suis, ad alienas civitates, provincias et divitias rapiendas se convertit. Sed hoc etiam de quovis avaro divite dicendum patet ex doctrinâ S. Ambrosii, qui compluribus locis de quovis avaro censet aptè dici, quod congregat non sua, ex eo quod dives sit œconomus potius quam dominus divitarum, ut cui Deus divitias non tam dederit, quam commiserit in pauperes distribuendas. Idèque multis rationibus ostendit pauperum esse divitias, quas vice recandit et congregat; et illam sæpè repetit sententiam: *Esuriendum panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio est et absolutio, pecunia quam tu in terram defodis.* Tot è ergo scias invadere bona, quot possis præstare quod velis. Ita D. Ambrosius, serm. 81. Quæ fisdem ferè verbis S. Basilii, sermone sexto ad discipulos ad finem dixerat. Similia quoque docet S. Chrysostomus, hom. 53 ad populum.

Habacuc igitur supra citatus non sine grandi et occulto mysterio opes nominat densum lutum. Quod arcanaum pîi prophetae bellè Remigius in hunc modum illuminat: *Opes sunt densum lutum, quia sinceritatem mentis confundunt, et gravissimo pondere iniquitatis mentem premunt.* Duo grandia notat incommoda: lutum inficit, et quia densum premit; scilicet opes, quæ ferè semper cum peccato conjunctæ, animum commaculant et gravant. Disertè S. Gregorius lib. 5, Pastoralis, cap. 21, avarum inquit contra se densum lutum aggravare, et terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Hinc Chaldaeus pro denso luto vertit *gravitatem peccatorum*. Pingit ergo divinâ mentis inflammatione vates opulentum ut tardam et languidam pecudem, quæ se luto denso et aggregato conspurcet et mole premit, sic ut oblita celo Deoque sit, et putidam cæcamque mentem nequeat

attollere. Cæcant enim vehementer opes, et infuscant lumen rationis. Unde Syrus pro denso luto consideratè veritè *mibem luti*. Haud sanè major è luto vis et fimo vapor existit quàm ex opibus sordidarum affectionum et scelerum nubes exhalat, quibus involuta mens et oppressa in summâ celestium rerum caligine et ignorantia versatur.

Septuaginta interpretes aliam quamdam imaginem nobis exhibent, et quidem opinione meâ luculentam ad eandem rem intelligendam; hunc enim locum ita vertunt: *Usquequod et aggravat torquem suum graviter?* Sic ut alludat propheta ad Babyloniorum consuetudinem, de quibus eodem ipso capite meminerat, qui aureas sibi torques ad majestatem, pompam et honorem solebant imponere; sic avarus sibi opes ut insigne ad prædicationem phalaris monilique circumponit. Sed falleris, ait vates, ore Dei fundens oraculum; quos torques putas aureos lutum sint, nec tamen illis ornaris quàm oneraris. Licet monilia nuncupes, vincula sunt mera, et fustis laquei, quibus cum terrâ fœdissimè indignissimèque ligeris, ut emergere vix queas et propitiando Numini assurgere. Et tamen in eisdem prophetarum, qui divinâ mentis sunt internumti, minæ graves iis intentantur, qui, in egerendo auro et condendo, curam omnem vigiliæque recipiunt, et in facibus avaritiæ consensescunt. Sic enim apertè Sophonias, cap. 1, 12: *Visitabo, inquit, super viros defixos in facibus suis.* Quod lutum vocavit Habacuc, hæc facies dicit; quæ cum possint omnè genus fœdæ voluptatis significare, quæ tanquam luto atque facibus inquinari et conspurcari homines soleant, de sordibus tamen avaritiæ propriè intelliguntur.

Chaldaeus vertit: *Animadvertant in viros qui summâ tranquillitate fruuntur divitiis.* Opes igitur vocat facies, in quibus illi miserandi pecuniarum aucupes et appetentes futilium honorum defixi hærent, et summâ, inquit, tranquillitate morantur. Quæ tranquillitas non est conscientia pax vel honesta mentis quies, sed ingens animi stupor, quo sensum omnem celestium perdiderunt, adeo ut facies delicias reputent, atque in iis defixi pulchrum et beatum opinentur. Unde quos noster interpres dixit viros defixos, sacra lingua posuerat *kophèim*, hoc est, *coagulatos, congelatos*, qui velut turpitudini callidè obduerunt, atque in vitio et immensâ illâ cupiditate obdurdant, tunc propè quotidianæ malitiæ colluvione concreti sunt et coagulati. Qui status mihi videtur longè miserissimus. Neque enim sic animo affecti vel oculos habent, quibus divina judicicia et pestem ante oculos positam contueantur, et aures ad piorum hominum exhortationes intelligendas, vel percipienda monita quibus in viam revocentur. *Erīs crepitus et murrorum sonantium dulcedo sapientium ipsiusque Dei vocem obtundit, ut sentiri nequeat; neque lumen honestatis ad medium filam faciem tam concretam solidamque potes pervenire.* Quid igitur ait Sophonias? *Visitabo super viros defixos in facibus suis*, hoc est, puniam, animadvertam, statim exemplum in eos rebelles homini, in choicis illos, scarabæos stercoribus involutos, in

novos terræ filios, qui spreto Numine coelum irritant bonaque divina, et incredibili vecordia illi sordes anteponunt. Quo in loco etiam vates haud dubiam eorum hominum calamitatem pertendit: *Disperierunt omnes involuti argento.* Pulcherrima est imago. Ut pugni delicatissimi et regii, quos magnificus et splendidus cultus recreare solet, aureis vulgò et purpureis fasciis involvuntur, quibus gestiunt et effertur, et præ illis regna et imperia fasidiunt, sic divitum cor animoque involutum argento facit; in eo se ostentant puerili levitate, et verarum opum despicientiâ et contempione insanunt; illud si tollas, ut pueli plorant, et immani dolore afficiuntur, præ illo nihili faciunt conscientia bona fructum, decus virtutis, splendorem gratia, regnum colorum, bonorum omnium fontem Deum. Argento muniti et cataphracti nec vindicem Numinis manum reverentur, nec insolentem fortunæ ludum et commutationem timent, non demonum imminente crudelitatem, non erubum, non mortem reformidant.

Divinè hoc Salomon expressit in Proverbiis, cap. 18, 11: *Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum.* Argentum murum circumducit opulento, quo superbi gloriatur, et se putet divinum judiciorum tela posse retundere; nullum esse arietem censet tam horribilis calamitatis, qui validum hoc vallum aureasque turres concutiat. Sed frustra, disperierunt omnes involuti argento. Cor illud omni metallo durius tabefactum est, sæva et inexorabilis mors argentum murum effodit, aurea illa propugnacula divine justitiæ telo conciderunt. Cujus rei memorabile exemplum S. Antonius de Padua, mirifens planè vir, et divinis prodigiis nobilis, hominum oculis exhibuit; qui cum mortuum nescio quem, bonis quidem multis abundantem, sed avaritiâ notatum, funebri oratione prosequeretur, divini quodam afflatus et lucis Numinis atque ardore insinectus: Verum, quid dicam, inquit, de corde atque intimo animo istius hominis, quem imperio Dei obsecuta mors vite et mundo abstulit? Si Veritas, si Dei Filius clarissime assensit, ubi noster sit thesaurus, ibi cor nostrum esse oportere, abite amici, et in thesauro, quem amplissimum reliquit, auro argenteoque referunt et maxime opulentum, quid rei tandem sit investigate. Ivère continuo ut vir sanctus moneretur, et inter nummos cor defuncti repererunt. Ille lubet exclamare et stupere: *Disperierunt omnes involuti argento.* Ille infelix nummis involutus, qui impotenti cupiditate opes stiterat, qui cor et mentem in thesauro suis infoderat, qui lumina divertebat sua ne justitiæ solem videret impietatem et duritiam animi coarguerent, ita exors fuit et dementatus, ut etiam moriens cor suum mammonæ diceret, quod eo novo et insedito prodigio declarare Deus et generi humano inculcare voluit.

Enimvero, dicit aliquis, luculentè illic opes saltem restant, nec pereunt, decori familie, hæreditibus autem et ornameto et commodo future; qui fructus è divitum opulentia potest videri optabilis. Astidamus

eundem Sophoniam, cujus malo clarâ sapientiâ et promptâ celo oratione quàm leviori meâ divinatione rem exponere; subdit enim, cap. 1, 15: *Et erit fortitudo eorum in direptionem.* Hebræa vox *chel*, quam interpres hic fortitudinem reddidit, non modo robur alque vires, sed etiam opes significat. Itaque Pagninus *substantiam eorum in direptionem*. Quo eodem propè modo longè ante Paraphrastes Chaldaeus: *Erunt divitiæ eorum in spolum.* O metuenda Numinis judicicia! Ita planè est, sic fit, hoc evenire videmus, ut ample illæ et exaggerate opes, in quibus stulte et sceleratè cocervandis cupidorum eorum cura et vigiliæ consumptæ sunt, brevissimo temporis intervallo pereant et dilapidentur. Aureum illud multitiæ castellum dominos prodit, et admittit latrones furiosos à quibus spolietur. Filius vecors et asotus, et in magnis opibus luxurians, quæ multis animis congesta fuerunt, paucis effundit, et fortunam omnem domus evertit. Lites quoque magnam partem exedunt, quæ arcano Dei judicio multæ et graves exoritur, ita constat plurimas familias, quæ fundatissimæ videbantur et omnium opinione florentes, subito novo motu concidere, inanes, desertas, spoliatas.

Ingeniosè bellèque Diogenes apud Stobæum Sermon. 91, divitiis fortunæ vomitum nuncupabat, quod ubi inmissis cupiditate et labore magno devorata fuerunt sæpè remorantur celeritèque transeant ad alios. Quod Diogene longè in omnem partem sapientior Sôphar hoc loco vidit, deque opibus maxime injuriâ partis ita gravissimè loquitur: *Divitiis quis devoravit evomet, etc.* Nescio an eò resperxi doctissimus omnium litterarum Sôlonius lib. 1, epist. 7, de Arvando loquens, qui è florenti et honoratissimo vite genere decederat, quem ait usque ad inimicorum dolorem deyenustatum, et à rebus humanis veluti vomitum fortunæ nauseantis expulsum. Quæ eum ita sint, causa profectò est cur pîi omnes opum appetitionem combinat, et abhorreat ab hoc luto et facibus, quibus animi inficiuntur et premuntur onero peccatorum, non modo in terram, sed usque ad orbem ire divine obnoxii.

VERS. 16. — CAPUT ASPIDUM (1) SEGET, ET OCCIDET EUM LINGUA VIPERÆ. Id est, haerit pessimum et lethale venenum. Aspis enim maxime in capite venenum habet et in saliva, vipera vero in lingua, ut S. Gregorius notavit. Venenum autem aspidum duo habet: Primò dulcissimum est super hæc et mel; secundò est omnium maxime exitiosum ac lethale, de quo dicitur: *Venerum aspidum insanabile*, quod nullum admittit remedium; estque igneæ ardentisque qualitatis, idèque hominem succendit, est autem reddit, et omnis quietis impatientem. Unde qui caput aspidis sugeret, simul et una quidem parte summam caperet voluptatem propter dulcissimum

(1) CAPUT ASPIDUM SEGET, Id est, pessimum et exitiale venenum, quale habet aspis in capite, et vipera in lingua, sibi sugit peccator ex peccato. Ita S. Gregorius. (Tyrinus.)

quam sentiret, ex aliâ verò summâ inquietudine inflammatus et aestuans interiret propter venenum. Sugere autem, est dulciter cum delectatione: ad se trahere tanquam dulcissimum lac, quomodo dicitur infantulus sugere, cum lac dulcissimum ex ubere extrahit; indeque accommodatur ad ea quae cum ingenti delectatione sumuntur, ut ad mel, oleum, aquam, quomodo dictum est, Deut. 32, 13: *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*. Si puer pro mamillâ caput aspidis sugeret, magnam quidem caperet voluptatem, tanquam si lac suavissimum inde exprimeret, sed simul magno aestu inflammatus maximam profectò contraheret inquietudinem, ut nec dormire quietè, nec stare sine anxietate posset. Ecce quid avaro accidit: *Caput aspidum sugit*. Quis explicabit quantâ aviditate concurrat ad pecunias sugendas, expoliens pauperem, devorans vitium, decipiens simplicem, circumveniens minus astutum? Certè non minori quàm infantulus fame et siti vehementissimâ excitatus ad ubera sugenda. Et optimè dicitur sugere, siquidem ut puer sugens cum suavitate insensibiliter et sine dolore è mamillâ totum lac extrahit, ita avarus verbis blandis, quibus suam colorat cupiditatem, ostendens se velle hujus v. g. pauperis agricolae necessitatem sublevare, illius egeni patienter expectare solutionem in tempus messis, illorum facultates sugit et ad se trahit. Dulcissimum super omnem lactis et mellis dulcorem est ei lucreum, quod hinc et inde reperat ex negotiatione illicitâ, usurario mutuo et cambio sicco ita palliat, ut videatur omni justitiâ justus, ex venditione usurarâ charitatis voce celebratâ. Non unius solius aspidis, sed *aspidum caput sugit*; non ei satis ex unâ injustâ negotiatione lucreum, sed ad omnes quas potest se convertit, sicut vitulus, qui ut pinguis efficiatur, omnium depascit vaccarum ubera. Sed infelix ille qui venenum aspidum sugit, quod, etsi ex unâ parte pro suâ dulcedine delectet, ex aliâ tamen pro suo ardore inflammat, succendit, aestuantemque reddit. Succenditur enim ex illo lucro cupiditatis flamma, et quae parva in principio extiterat, vehementissimum paulatim contrahit ardorem.

Et benè dicitur, *venenum aspidum*: Primò, quia *insanabile*. Inter omnia enim venena quae animam inficiunt, hoc insanabilis existit, et minus admittit curationem; *nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli*, 1 Tim. 6, 9. Quando avis laqueo est comprehensa, irreparabile damnum incurrit. Fortis laqueus iste in quem qui incidit, etiamsi sit Apostolus electus à Christo, potestate ejiciendi demones donatus, participes corporis et sanguinis illius effectus, ab ipsomet sacerdos ordinatus, non evadet, ut videre est in Judâ, qui hoc laqueo irretitus, remansit captivus ad ipsius diaboli voluntatem, ut quidquid ille suggererit, fecerit, etiam cum ad ipsummet Dei Filium inimicis suis vendendum incitatus fuit; et tandem laqueo se suspendit, et *suspensus crepuit medius*, Act. 1, 18. Laqueo enim compressus perit, qui in diaboli laqueo incidit. Venenum igitur aspidum insanabile.

Notum est quod multi scriptores referunt, sub Constantino, cum, divinâ ipsi illicentiae gratiâ, ad fidem conversus ingentes divitias amplissimisque redditus Ecclesiae applicasset, auditam fuisse de celo vocem dicentem: *Grande nunc venenum in Ecclesiâ Dei effusum est*. Quo dicto abutuntur haeretici, ut praelatorum et Ecclesiae ministrorum divitias, redditus et amplas facultates sugillant, dicentes oportere eos tenere pauperum, quam Apostoli priorisque temporis praelati tenuerunt, qui sanctitate, non pecuniis fuerunt illustres et gloriosi. In quo ipsi quidem, ut fortè non immeritò in quibusdam praelatis, majorem vitae sanctimoniam requirerent; insipienter tamen et malignè eos omnibus divitiis exutos volunt, cum ipseniet Deus, qui suâ gratiâ Constantinum imperatorem ad fidem traxit, eidem inspiraverit, ut Ecclesiam illiusque ministros, singulariter Romanum pontificem, ejusdem caput, ditaret; quod adimpletur illud quod Ecclesiae predictam promissumque fuerat, Isaia 60, 16: *Suge lac gentium, et mamillâ regum lactaberis*. Deus tamen, qui hoc operatur, voluit cautos reddere fideles suos, ut sibi attenderent; divitias quippe incautis et cupidis venenum esse potentissimè succendens et inflammas, eosque qui volunt divites fieri incidere in tentationem et laqueum diaboli. Si igitur istae divitiae quas, Deo operante, disponente et offerente, Ecclesia è regum mamillâ sugit, venenum dicte sint propter incautos et cupidos, quantò magis illae quas avarus injustè, crudeliter et impiè ex pauperum, viduarum, pupillorum simpliciumque mamillis sugit? Venenum ergo aspidum sugit, quisquis divitias inordinatè appetit.

Secundò divitiae dicuntur esse venenum aspidum, quia simul cum dulcedine quâ delectant habent ardorem quo inflammant, et sui amatores faciunt aestuantes. Quis enim explicet ardorem quo avarus inflammat, torquetur, sollicitatur, anxias curas sustinet, quibus noctu diùque lancinatur, nullam quietis partem capiens, assidue timens, atque animo revolvens, si talis creditor deficiat, si institores ejus tibi sint fideles, si navis submergatur, quomodo et ubi triflicum charitis vendi poterit, quomodo serrari possit merces in tempus quo sola in mundanis apparent, quomodo pretium illarum augeat, qui negotio pecunias exponat, etc. Hos B. Isidorus Pelusiota, lib. 2, epist. 233, comparat miserae illi feminae, quam Gorgonem S. Augustinus, lib. 18 de Civitate, cap. 45, Medusam alii vocant, cujus omnes capilli serpentes erant aperto ore in omnem partem inhiantes ignemque spirantes, ad indicandam anxietatem, quâ variis et innumeris tanquam capillis, crudelibusque et diris tanquam serpentibus, curis et sollicitudinibus anguntur; idcirco miseri perpetuò timent, quaerunt, sperant, machinantur circa ea quae vendenda, emenda, mutuanda, recuperanda et condenda sunt. Qualis esset animus illi qui pro capillis viperas aut serpentes caput suum mordentes haberet? Tali ardore succensus quosdam contemplantur Deus grandi anxietate sollicitos dicentes, Amos 8, 5: *Quando transiit mer-*

*sis, et vendebimus merces; et sabbatum, et aperimus frumentum; et imminimus mensuram, et augemus siclam, et supponamus stateras dolosas; ut possideamus in argento egenos, et pauperes pro calcamentis, et quisquilas frumenti vendamus?* Haec prosequitur S. Augustinus, serm. 22 de Verbis Apostoli, considerans hujusmodi hominem inter avaritiam et pigritiam aut necessitatem naturae. Pigritia enim dicit: Dormi; id enim exigit necessitas. Avaritia dicit: Surge; pigritia dicit: Noli pati frigidus dies; avaritia dicit: Tolerâ in mari etiam tempestates; illa dicit: Quiesce; ista non sinit quiescere, jubet non solum ut procedat, sed et naviget trans mare, et quaerat terras quas ignorat, etc. Ex unâ igitur parte voluptatem capit propter lucreum, ex aliâ verò grandi flammâ succensus plenus est sollicitudinibus. Verè itaque miser *caput aspidum sugit*, dum se lac è divitiarum uberibus haurire putat.

Aliam porò tropologiam vide apud S. Gregorium, lib. 15 Moralium, cap. 9, ubi caput aspidis exponit esse latentes demonis suggestiones, linguam verò viperâ violentas tentationes.

VERS. 17. — NON VIDEAT RIVULOS FLUMINIS, TORRENTES MELLIS ET BUTYRI (1). Novis adhuc dicendi tropis eandem pergat sententiam amplificare, docens indignum videri impium, qui prosperitatem more rivi affluenter, et rerum delectabilium copiam instar fluentis mellis ac butyri exuberantem obtineat. Nota enim similitudinis, ut rectè Sanctius observat, juxta Hebraeorum idioma hoc loco ommissa est. In torrente autem et rivulo rerum significatur perennis abundantia. Sunt enim rivuli fluminis rivuli aquae perpetuò fluentis. Quasi dicat: Fuerunt quidem olim tibi, ô Jobe, torrentes lactis et mellis sicut rivuli aquae, sed deinceps non erunt. Abundaverat enim Jobus, ut in principio vidimus, his maxime rebus quas curant agricolae, cum multos habuerit pecorum armentorumque greges, multa juga bovm, et copiosam servulorum familiam, quibus illarum tot rerum curam et administrationem commendavit; cumque mellificum inter rusticas curas extrema non sit, ut docent quotquot de agricolarum negotio praecepta tradidère, qui de apibus non pauca dicunt, neque illarum studium segeniter commendant, non est verisimile Jobum hanc abieccisse curam, cum ex illâ non exigua proveniant emolumenta, neque magni fiant in ejus tractatione sumptus. Cum autem id tam huic Sophar quam illius amicis videatur esse propositum, ut ad diaboli votum Jobum exagitant, et illa esse putent impietatis argumenta, quae Jobo post tantam rerum abundantiam contigisse vident, honorum commodilatamque naufr-

(1) Le terme hébreu peut aussi se traduire *crème de lait*; mais il signifie communément *beurre*: c'est ce qui a déterminé saint Jérôme à adopter ce dernier sens. Nous autres Européens, nous avons de la peine à nous figurer un *torrent de beurre*; mais dans les climats brûlants de l'Orient le beurre n'a pas la consistance que nous lui voyons. Shaw nous apprend (p. 169) qu'en Arabie on verse le beurre dans des cruches pour le conserver. (Drach.)

gia, defuturos esse dicunt impio atque tyranno mellis butyrique torrentes, quia illos jam Jobo exaruisse viderant.

Eadem metaphora in Scripturâ sacrâ saepe legimus terram manare lacte et melle, id est, in eâ lactis et mellis maximo esse proventus. Est autem proverbialis et hyperbolica loquendi forma (ut benè Delrius noster notat in Adagiis sacris veteris Testamenti, adagio 61), quâ fatentur omnes describi terram cuncta suavis alimoniae copîa refertissimam; aliter tamen atque aliter hoc explicant. Non probandum tamen, quòd quidam restringant ad pascha laudatissima, plena lactiferis animalibus, et ad violaria rosetaque et silvas floriferas, aptas mellificis apicularum, cum satis constet Judaeis et Idumaeis etiam fuisse copiam eorum, quorum lacte non alebantur; et Jonathae historia, lib. 1 Regum, cap. 14, satis doccat, etiam in saltibus Judaeae mellis copiam reperant. Praeterea olivetarum et vindemiae proventus major quam mellis et pretiosior habebantur; cur igitur terra non aequè dicitur vino et oleo manasse? Puto igitur cum Delriò nostro *mellis et lactis* nomine caetera etiam edulia significata. Convincitur id ex libro Numerorum, ubi sicut exploratores, cap. 15, 28: *Venimus ad terram ad quam misisti nos, quae reverè fluit lacte et melle, et ex his fructibus cognosci potest*; sed hi nec lac, nec mel, sed botrum et similes fructus afferbant.

Hegesippus, lib. 3 de Excidio Jerosolymitano, cap. 6, quòd de lacte et melle dicitur ad aquarum dulcedinem refert, et vult promissionem Dei de torrente flente lac et mel omnino mysticam fuisse, et de resurrectione intelligendam. Credo, dicere voluit de cœlicâ terrâ promissionis; fateor analogico sensu, non literali. Quo pacto etiam divus Hieronymus interpretandus, epist. 120 ad Dardanum, ubi negat quae de fertilitate et felicitate terrae in sacrâ Scripturâ leguntur, secundum litteram occidentem accipiendâ; voluit nimium tantummodò negare, ut ratio ab eo subjecta indicat, in eâ rivus lactis et mellis, quales poeta fingunt fuisse in seculo illo aureo quod fabulantur, et formulis loquendi è Scripturâ mutuatis describunt. Hinc illud mutuatum à poetâ nescio quo ex Sybillâ.

*Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.*

Item Virgilium canit, eclogâ 4:

*Et duræ quercus sudabant rosida mella.*

Porrò ex illis sacrâ Scripturâ locis daemon divinitatem aucupatus, prestigis simulavit lactis et aquae, et mellis et vini fontes. Eurypides Bacchi de aquâ quidem et vino:

*Tum una correpto thyrsu verberat petram,*

*Unde vorulentus aquae prosilient humor;*

*Alia autem ferulam demisit in terra solan,*

*Et isthic mox fontem vini emisit Deus.*

De melle verò et lacte ait:

*Quibus denique nivei lactis erat desiderium,*

*Summis digitis scindentes solum.*

*Illic lactis flumina habebant: porrò ex hederacis*

*Thyrsis guttis flava stillabant mella dulcibus.*

Et brevius: